

46.

Upsaliae. Jun. 27. 1769.

Viro amplissimo Nic. Jacquinio Professore Botanico
immortali s. pl. d. Car. v. Linné.

Tuas suavissimas d. 1. Junii datas hodie accepi, nec gratiores umquam ullas, cum in eis semina erant Loasae recentia, quae frustra quaesivi per Galliam, Angliam, Italiam et multas alias regiones. Dixere omnes plantam non ulterius existere in Europa. Serius quidem haec accessere, quam ut ego ejus hoc anno videam flores adeo singulares; laetor eam esse in Tuis manibus, quam prae aliis omnibus commendo, quum in hac vita non noverim aliam quam magis optaveram, ut si forte fata mihi etiamnum concedant annum proximum, eam videro.

Loqueris de literis cum Cynosuro carpathico, quas numquam vidi, numquam accepi, nisi hodie in urbem ad Tabellarium publicum, qui literas omnes annotat, nec istae literae in Sueciam pervenere, quid itaque sit nescio.

Inclusa *Saxifraga* est omnino *tridactylites*, quae variat foliis integris, apud nos frequentissima, adeoque de ea errare nequeo.

Altera Tua Schneebergensis est admodum singularis, forte nata in loco suffocato. Fructus polyspermi, et stipulae 3 s. 4 infra folia. Certe non novi ullam hujus affinem. Facies Anastaticae secundae, sed stipulas habet.

Continuationem catalogi *Tidströmeri* mittam quamprimum potero urbem adire, qui nunc aestivo in praedio meo; vidi ejus catalogum totum pro Te scriptum; de missione Lapidum simul cum eo agam.

Crantzii opus non vidi praeter 2 primos fasciculos, nec curo videre reliquos.

Scopoli opus accepi.

Lobelia longiflora jam egregie floret in Horto, quam